

fœneratorum domos valde quidem plenas , quarum erat magnus numerus , universas spoliaverunt . a quibus digressi , nonnullas etiam eorum civium , qui reipublicæ adversissimi fuerant , vitæ inquilinorum parcentes , diripuerunt . Verum edicto legati proposito , ut prædandi finis fieret , & luminibus singulis in domibus e fenestris tota nocte ardere jussis , ne tenebræ licentiam peccandi adderent , stationibusque in foro atque ad portas dispositis , ipso etiam legato cum militibus oppidum perambulante ; non tamen quorundam Venetorum civium , qui spe prædæ privati Patavium venerant , audacia comprimi potuit , quin cum armatis di reptiones exercearent , atque in legati milites , a quibus prohibebantur , impetum facerent . Ea de re ab legato ad decemviros datis literis , quod statuere ipse in cives Venetos non auderet , Hieronymum Quirinum magistrum suum , Marinum Maurocenum triumvirum ex advocatis reipublicæ decemviri Patavium celeriter miserunt . hi retentis nonnullis atque in vincula conjectis , tumultum sedayerunt . Proximo vero die tormentis ad arcem oppidi positis , & magna circunfusa armatorum multitudine , demum parte propugnaculi dejecta , dum de ditione hostes agunt , milites superatis per ruinas muris arcem capiunt : in qua captivi facti Leonardus Trissinus præfectus vulnere in capite accepto , & Manfredus Facinus , vir egregia virtute , qui complura stipendia , multisque in exercitibus reipublicæ magna cum laude meruerat , & Germani viri fortes & claro loco nati sex , civesque Patavini tres : iique omnes Patrum jussu sunt ad urbem missi , Facino excepto , quem Grittus legatus cum magnopere diligeret , liberaliter appellatum castigatumque , quod cum tot annos reipublicæ militiam fecisset , tam duro ejus tempore in hostium numero esse voluisse , nullo accepto incommodo statim dimiserat .

*Arx Pata-
vina reci-
pitur.*